

R. P. D.

C E R R O

Toletana Decimarum

Super Manutentione.

Veneris 15. *Ianuarij* 1723.

AD formam resolutionis hodierna die emanatæ super dubio petitorij, de qua in contemporanea decisione responsum à DD. meis accepi quoad Manutentionem, vt videlicèt standum sit *in decisis iuxtà modum*, atque ità Reuerendissimus Archiepiscopus manuteneri debeat in quasi possessione exigen-

di

di Decimas ex omnibus Territoriis possessis à Monasterio Sancti Dominici, exceptis illis de Perobequez, & Vrtada, quorum respectu manutenendum sit Monasterium in possessione exemptionis.

Siquidèm manutentio tali pacto debita est partìm vtrique Collitiganti eo ipso, quod eodem contextu decisum est fauore alterutrius bonum ius, iuxtà cuius assistentiam veluti in sequelam decernendum est mandatum de manutenendo, quia petitorium absorbere dicitur judicium possessorium, proùt inconcussè semper seruauit *Rota*, & præcisè *in Romana Communantiarum* 13. *Aprilis* 1700. *coram bon. mem. dell'Olmo Episcopo Conchen. in Ferrarien. Decimarum* 23. *Martii* 1716., *&* 15. *Februarij* 1717. *coram R.P. D. meo Falconerio Almæ Vrbis Gubernatore, & in eadem* 10. *Decembris* 1717., *&* 29. *Aprilis* 1718. *coram R. D. P. meo Foscaro*.

Sed etsi consideranda foret sola possessio, non diuersimodè resolutio capienda esset: Nàm respectu Archiepiscopi iste ex dicto ipsorum Testium à Monialibus inductorum ingenere ostendit se exegisse, vt plurimùm decimas ex plerisque bonis à Monasterio possessis, vt consideratum fuit in præcedenti mea decisione huius Causæ super Manutentione §. *Non solum*; Vndè promanat illam possessionem, quam allegant Moniales non soluendi remanere turbidam; ipsasque iuuare non posse tanquam habentes iuris resistentiam, atquè in dubio præferendam esse ad decernendam manuteutionem illam possessionem, in qua reperitur Archiepiscopus iuris fauore suffultus, sicuti ex *Rebuff. de decimis quæst.* 14. *num.* 46. alijsque allegatis aniamduersum fuit in præcedenti decisione super manutentione §. *Quod si*.

Quo verò ad Territoria de Perobequez, & Vrtada cum constet Moniales nullas vnquam pro illis soluisse decimas ex probationibus factis anno 1641., quarum vigore obtinuerunt manuteneri in exemptione Decimæ pecudum, exindè verò vsque ad præsens in propria possessione continuasse non soluendo Decimas ex quibusuis fructibus prouenientibus à cultura propriis sumptibus facta, vt habetur ex Testibus in hoc iudicio examinatis, ea propter eisdem Monialibus debita est manutentio, quæ probata consuetudine non soluendi Decimas, decerni solet contra Parocum, vel Episcopum de iure Decimatorem, ad tradita per *Post. de manut. obseru.* 44. *à num.* 22. *ad* 25. *Adden. ad Gregor. dec.* 312. *n.* 3. *dec.* 402. *par.* 2. *rec.*

Et ità &c.

ROMÆ, Typis Reu. Cam. Apost. 1723.)(*Super. lic.*